



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

117. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De unguendis infirmis. *Ex Concilio  
Turonensi.*

C X V I. Postquam infirmus ab onere peccatorum per confessionem relevatus fuerit & à sacerdote reconciliatus , oleo sanctificato in Dei nomine inunguendus est , primum in pectori , deinde inter scapulas , cum precibus ad hanc sanctam unctionem pertinentibus , ut juxta Apostolum oratio fidei salvet infirmum &c.

De eadem re. *Ex epistola Innocentij Pape  
cap. CCCLXXXVII.*

C X V I I. Beatus enim Jacobus Apostolus in epistola sua scripsit: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie , & orent super eum , unguentes eum oleo in nomine Domini , & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus ; & si in peccatis fuerit , remittentur ei.* Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intellegi debere , quia sancto oleo chrismatis perungui possunt , quod ab Episcopo confectum non solùm sacerdotibus sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate ungendum . Ceterùm illud superfluum videmus adjectum , ut de Episcopo ambigatur quod Presbytero licere non dubium est . Nam idcirco Presbyteris dictum est , quia Episcopi occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt . Ceterùm si Episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem à se visitandum & benedicere & tangere chrismate , sine cunctatione potest , cuius

Decreta In-  
noc. I. c. 8.  
Burchard. lib.  
18. c. 2.

est ipsum chrisma confidere. Nam pœnitentiibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

De eadem re. *Ex dictis Bedæ Presbyteri.*

**CXVIII.** *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* Hoc & Apostoli in evangelio fecisse leguntur, & nunc Ecclesie consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato unguantur à Presbyteris, & oratione comitante sanentur. Non solum Presbyteris, sed, ut Papa Innocentius scribit, etiam omnibus Christianis uti licet eodem oleo in sua aut suorum necessitate unguendo. quod tamen oleum nonnisi ab Episcopis licet confici. Nam quod ait *oleo in nomine Domini*, significat oleo in nomine Domini consecrato, vel certè quia etiam cùm unguunt infirmum, nomen Domini super eum invocare pariter debent. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Multi propter peccata in animam facta infirmitate aut etiam morte plectuntur corporis. Unde Apostolus Corinthiis, quia corpus Domini indignè percipere erant soliti, ait: *Ideo inter vos multi imbecilles & dormiunt multi.* Si ergo infirmi in peccatis sunt, & hæc Presbyteris Ecclesie confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis. Neque enim sine confessione emendationis peccata queunt dimitti. Unde rectè sub-